

quem enim conscientia defendit, & inter accusations liber est; & si ne accusatione esse non potest, si sola conscientia accuset.

XV.

Entia autem multiplicant citra necessitatē, Primo illi, qui tripli-
cem Conscientiam configunt, de quo videndus *Franciscus Suarez.*
disp. 12. Pet. 2. pag. 315. scribens: Interdum Conscientia dicitur præ-
teritorum, interdum presentium, interdum verò futurorum actuum.
Priori modo loquimur communiter de conscientia, cum dicimus conscienti-
am examinare, & habere vel non habere conscientiam peccati, iuxta
illud: *Hoc est gloria nostra, testimonium conscientiae nostrae: sic euim*
propriè dicitur conscientia mundari, seu liberari à peccato, quomodo
aiebat Paulus, nihil enim mihi conscius sum: non certè, quia nihil se
commisisse existimaret, sed quia credebat, se liberum & mundatum à
*culpa: quocirca licet conscientia hoc modo consistat in memoria præteri-
ta actionis, & iudicio illius, tamen maximè propriè dici videtur, quando*
actus præteritus, vel moralis status ex eo relictus, adhuc durare moraliter
censetur: non enim dicitur homo propriè habere conscientiam peccati,
solum quia iudicat se peccasse; sed quia inde adiungit, & iudicat se
esse in peccato, atque hoc modo dici potest, conscientiam respicere aliquo
modo presentem hominis statum. Secundo verò modo dicitur esse con-
scientia propriè de praesentanea actione, ut quando homo operatur a-
ctu iudicando actionem suam, & hoc modo dicitur propriissimè homo
agere contra conscientiam, vel obedire conscientia, & sic etiam pro-
priè conscientia mordet, vel reprehendit, & fere eadem ratione. Ter-
tio respicere potest conscientia futuram actionem, ut quando homo iu-
dicat de his, quæ postea est acturus, & secundum hunc respectum dicitur
propriè conscientia obligare: Sed recte addit unde secundum alias
considerationem omnis conscientia aut est præteriti, aut futuri sal-
tem secundum naturæ ordinem, quia dictamen conscientiae, aut antece-
dit actionem sicutem naturam, & sic respicit illam, ut futuram, aut suppo-
nit actionem, sic non respicit illam, ut effectum, sed solum, ut obiectum
indicatum, & sic respicit, ut iam facta, & ut sic licet reprehendat, accus-
set, vel mordeat, non tamen obligat, vel dirigit propriè, nisi quatenus ex
præcepto oriri potest obligatio ad aliquid agendum. Unde hac consci-
entia præteritorum minus est practica, quia non propriè movet ad opus;
altera verò est propriè practica & regula agendorum, de qua hic est ser-
mo, quæ ulterius subdividi potest in conscientiam consiliorum, vel præce-
ptorum, aut prohibitorum, & aliis similibus modis, qui consummantur

in